

et portate Deum in corpore vestro. — Post hoc dicimus, sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Caeterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum; id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus, et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quae autem sit sanctificatio, quae nobis de Dei dignatione confertur, apostolus praedicat, dicens: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulentum, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri. Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri. Haec sanctificatio ut in nobis permaneat oramus. Et quia Dominus et Judex noster sanato à se et vivificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. — Sequitur in oratione: Adveniat regnum tuum. Regnum etiam Dei repraesentari nobis petimus, sicuti et nomen ejus, ut in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat, aut apud eum quando incipit, quod et semper fuit, et esse non desinit? Nostrum regnum petimus advenire à Deo nobis repromissum, Christi sanguine ac passione quaesitum; ut qui in saeculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus,